

a 1522 ad 1533 = 237 Ar 246

Petrus Tomicki, Stanislaus Lipnicki cano:  
nico et officiali Sandomiriensi.

170  
Venerabilis Domine frater in Christo dilecte. Re:  
latum est ad nos Mathiam de Bodzanczyn de:  
ricum in minoribus constitutum, per vicecapi:  
taneum Sandomiriensem, ob vulneratum notari:  
um castrensem casu et non ex composito, de  
schola violenter extractum, et die festo mane,  
publice atque ignominiose ductum, et in fedum  
carcerem coniectum esse, et hactenus in eo deti:  
neri, non sine gravi contumelia nostra et uni:  
versi ordinis ecclesiastici, vobis ad tam audax  
facinus tacentibus et conniventibus. Quae res  
si ita habet, est nobis plurimum molesta, pa:  
lamque cognoscimus quod vos non debite fungia  
mini officio vestro, multa enim mala isthic  
sepius committuntur per homines seculares in cle:  
rum nobis subiectum, quae vos non solum debi:  
ta animadversione non coercetis; sed etiam dissim:  
ulatione vestra factum illorum approbatis, pluri:  
us facientes nescimus quem favorem hominum  
seularium, quem vobis eiusmodo tollerantia et  
dissimulatione iniuriarum cleri nostri comparare  
studetis, quam bonam existimationem vestram  
apud nos et alias, de qua re apostulabimus vos  
bisum alio tempore. Nunc autem nolentes  
tam turpiter et fcede violari iurisdictionem noi:  
stram et libertatem ecclesiasticam; mandamus vos  
bis, moneatis mox visis presentibus vicecapi:

taneum

taneum Sandomiriensem fratrem vestrum, ut intra  
viginti quatuor horas clericum detentum liberum  
dimittat, alioquin feratis in eum sententiam  
interdicti, quod non prius relaxetis, donec idem de-  
ricus dimissus fuerit, et vos aliud habueritis à  
nobis in mandatis. Nos enim sufficientes sumus  
ministrare iustitiam unicuique de clerico illo de-  
tento, ministrareque illam volumus iure me-  
diante, sed certe ferre hoc et pati volumus,  
ut quispiam alter quam nos, aut officiales  
nostri ecclesiastici, clericos nostros detinere aut  
punire debeat. Bene valetis. Datum in Radtaw  
die prima Augusti.